

tum singulæ completæ forent, ac per se solas esse et agere possent. Porrò, in casu de quo nunc, id minimè obtinet, ut patet ex dictis. Nec desunt exempla rerum distinctarum quæ separari haud queunt : v. g. in corporibus materia et forma, in arbore folia et rami, in animâ autem intellectus et voluntas.

Inst. Concipi nequit quid sit essentia sine suis potentiis. Ergo ab iis non realiter differt.

Neg. ant. Quanquam enim sine potentiis suis esse non potest anima, præsertim sine intellectu et voluntate, tamen concipitur quid sit sine illis, siquidem debet intelligi ut *subjectum* in certâ specie collocatum, in se existens et *principium* ex quo naturaliter promanant potentiæ. Et sanè, prius concipienda est essentia alicujus rei creatæ, quàm ejus attributa concipiantur.

41. *Obj.* 2^o Sententia scholastica docet potentias animæ esse mera accidentia. Illud autem absurditate non vacat.

Dist. maj. : Docet potentias esse ab essentiâ distinctas, in quâ recipiuntur velut in subjecto, *conc.*; esse mera accidentia quæ ab animâ abesse possunt, *neg.* Nam inter essentiam et merum accidens datur medium, *proprium* nempe, quod longè ab accidente differre ostendimus in Logicâ (n. 171). Itaque potentiæ animæ, licèt ab illius essentiâ distinctæ, nihilo minus essentiam *proximè* sequuntur, et *sponte* promanant ex *principiis essentialibus speciei*, cujus sunt *proprietates naturales*, non merè accidentales. (Cf. D. Thom., 1^a, q. 77, a. 1, ad 5).

ARTICULUS III

Utrùm omnium hominis potentiærum subjectum sit anima sola (1)?

42. Potentiærum subjectum est *illud in quo inhaerent, et quod per eas operatur*. (Cf. S. Th., 1^a, q. 77, a. 5).

Porrò manifestum est potentias *inorganicas*, intellectum nempe et voluntatem, in animâ solâ, tanquam in subjecto

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 1, a. 3, p. 96 et ss.

residere, quippe quæ corpus transcendunt. At *organicæ* potentiæ, in animâ solâ tanquam in subjecto recipi haud queunt, sed partim in animâ, partim in corpore; quia, ut monet D. Thomas, « exercentur per organa corporalia, sicut « visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de « omnibus aliis operationibus nutritivæ et sensitivæ partis. » (1^a, q. 77, a. 5, c).

ARTICULUS IV

Utrùm omnium hominis potentiærum anima principium sit?

43. Principium dicitur non propriè id quod *efficit* aliquid — id enim rectiùs vocatur *causa* — sed id quod *est radix vel ratio sufficiens alicujus*, seu fusiùs, id, quo posito, *alterum poni debet, ob naturalem connexionem quam habet cum eo*.

Atqui liquido patet potentias inorganicas, ab animâ, ut a principio, dimanare; quippe quæ ab animæ essentiâ tanquam *naturales* proprietates defluunt, in animâ solâ resident, et ab eâ solâ exercentur.

Idem quoque dicendum est de potentiis organicis. Licèt enim in corpore et per corpus exercentur, tamen corpori non insunt, quatenus est corpus, sed quatenus est vivens et humanum. Sed corpus est vivens et humanum per animam, ut infra probabitur, ubi de influxu animæ in corpus. (Cf. S. Th. 1^a, q. 77, a. 6).

CAPUT II

DE POTENTIIS ANIMÆ IN SE SUMPTIS

Quærere licet : 1^o Quomodo a nobis dignoscantur potentiæ? 2^o Quomodo aliæ ab aliis secernantur; 3^o Quot numerentur?

ARTICULUS I

**De modo quo a nobis cognoscuntur animæ
potentiæ.**

14. Assertio : *Potentia animæ ex operationibus suis, operationes verò ex objectis suis cognoscuntur.*

PROB. 1^a PARS, quia potentia quælibet ad actum ordinatur et in eo *solo* nobis sese manifestam exhibet; quamdiu enim non operatur, nos latet, sicut latet causa, donec in actum erumpat.

PROB. 2^a PARS, easdem ob causas. — Actio ab eo cognosci debet ad quod *naturâ* suâ terminatur. Atqui omnis actio terminatur ad objectum aliquod; quare immediatè percipitur objectum, et eo mediante actio ipsa; non enim cognoscimus nos agere, nisi per *reflexionem*, quatenus mens nostra super actus suos et seipsam redit. Hinc S. Thomas: « Primò actus ab ipsâ animâ exiens, terminatur ad objectum, et deinde reflectitur super actum, et deinde super potentiam, et « *essentiam.* » (*Qq. disp. de verit., q. 2, a. 2.*)

Confirmatur, quia plerique hominum toti sunt in objectis circa quæ operantur, sed rarò in actiones suas per reflexionem redeunt, et rariùs adhuc de animæ suæ inquirunt naturâ.

ARTICULUS II

**De modo quo potentiæ animæ aliæ ab aliis
distinguuntur.**

Modus distinguendi potentias sequi debet modum eas cognoscendi. Unde sit sequens

15. Assertio : *Potentia a se invicem specificè distinguuntur ex operationibus specificè diversis, operationes autem ex objectis formaliter diversis.*

PROB. 1^a PARS, quia potentia, quâ talis, tota refertur ad actum, et proin naturam et speciem sumere debet ex naturâ

et specie actûs ad quem refertur. Ubi ergo actus specificè diversi, ibi etiam potentia diversæ specificè (*supra*, n. 7).

PROB. 2^a PARS, quia operationes ipsæ naturam et speciem sumunt ex objectis circa quæ versantur.

Dixi ex objectis formaliter diversis; nulla enim potentia judicari debet ex eo quod ei *per accidens* convenit, sed ex eo ad quod *per se* refertur, tanquam ad proprium objectum (1). Unde v. g. distinguuntur auditus et visus, quia versantur circa objectum sensibile sub ratione formaliter diversâ; album contrâ et nigrum, licèt materialiter diversa, imò contraria, visu percipiuntur, quia color ad visum refertur, non quatenus est *talis* vel *talis* color, sed tantùm sub ratione coloris, accidentale autem est visui ut color sit niger vel albus.

ARTICULUS III

De numero et ordine potentiæ animæ.

16. Opiniones. — Duplex potissimùm a recentibus philosophis proferri solet potentiæ divisio, alia in sensibilitatem, intelligentiam ac voluntatem; alia verò in sensibilitatem, intelligentiam et activitatem.

At Doctor Angelicus, quem sequuntur omnes scholastici, quinque admittit potentiæ animæ *genera*, nimirum potentiam vegetativam, sensitivam, intellectivam, appetitivam et motricem (1^a, q. 78, a. 1, c).

17. Assertio : *Tenenda est divisio scholastica potentiæ animæ.*

1^o *Est adæquata.* — Ex dictis, potentiæ distinguuntur ex objectis suis specificè distinctis. Sed quinque numerantur objecta potentiæ animæ specificè distincta.

Vel enim anima spectatur quatenus ordinem habet ad suum corpus, vel quatenus ordinem habet ad res externas. Si *prius*, adest potentia *vegetativa*, vi cujus agit anima in

(1) « Ex objectis diversis non diversificantur actus et potentiæ animæ, nisi quando fuerit differentia objectorum, in quantum sunt objecta, i. e. secundum rationem formalem objecti, sicut visibile ab audibili. » (S. Th., in II *de Animâ*, lect. 6^a).

suum corpus eique vitam confert. Si *posterius*, vel res externæ in animam agunt eique junguntur, vel contrâ, anima sese ad eas convertit. In 1° casu, duplex occurrit potentia, videlicet *sensitiva*, quâ cognoscuntur res materiales et singulares, et *intellectiva*, quâ omne ens universaliter cognoscitur. — In 2° casu, duplex quoque habetur potentia, nempe *appetitiva*, quâ anima inclinatur affectu ad concupiscendas res apprehensas, et *motrix*, quâ ad eas obtinendas accedit. — Itaque nullum est objectum aut internum aut externum, quod his quinque potentiis attingi non queat ab animâ (1).

Dixi admitti oportere quinque potentiarum genera, quia ipsa *species* quasdam sub se habent; e. g. vegetativa continet generationem, nutritionem et augmentum; sensitiva sensus externos et internos; intellectiva intellectum agentem et possibilem; appetitiva appetitum sensitivum et rationalem (2).

2° *Est membris opposita*. — Enimvero vegetativa operatio, sensatio, intellectio, appetitus et motus localis phænomena specificè distincta præ se ferunt; unde ad potentias specificè distinctas referantur necesse est (3).

(1) Philosophi quidam addunt potentiam *vocalem*, seu facultatem formandi voces articulatas. Hæc autem non est facultas *specialis*, quia oritur a ratione et *completur* per vim motivam.

(2) Ista quinque genera reduci possunt ad duo *suprema*, scilicet ad divisionem potentiarum in *organicas* et *inorganicas*, vel adhuc in *passivas* et *activas*.

(3) Vellent quidam non admitti nisi quatuor genera potentiarum animæ, quia facultatem sensitivam et facultatem intellectivam comprehendunt sub genere potentiae cognoscendi, sicut appetitus sensitivus et appetitus rationalis sub genere potentiae appetitivæ comprehenduntur. — At paritas deficit; quippe, ut alia omittam argumenta, sensus et intellectus *univocè* non attingunt objectum cognoscibile; intellectus quidem apprehendit suum objectum ut intelligibile, ac proin sub ratione *veri*; sensus autem apprehendit suum objectum duntaxat ut particulare et materiale; materiale autem, ut sic, non propriè dicitur verum, quia non est intelligibile. — Cæterum, monente Angelico, veritatem cognoscere est cognoscere conformitatem cognitionis cum re cognitâ, quam sensus minimè cognoscit. — Econtrâ, sensitivus et rationalis appetitus, quanquam ad bonum distinctum feruntur, tamen *univocè* bonum appetunt, videlicet sub communi ratione boni.

3° *Est perbellè ordinata*. — Ordinatio potentiarum duplici ex parte repetitur: ex universalitate objecti, et ex independentiâ. — Sub *priori* respectu, illa potentia nobilior est quæ respicit universalius objectum; unde infima facultas est vegetativa, quæ ordinatur solùm ad corpus unitum animæ; secunda est facultas sensitiva, quæ ordinatur ad omne corpus sensibile, perfectissima est intelligentia, quæ pro objecto habet universaliter omne ens.

Sub *posteriori* respectu, prima est facultas vegetativa, quam omnes aliæ præsupponunt; secunda est facultas sentiens, quam intelligentia supponit; tertia est intelligentia, quam supponit appetitus, quia « nihil volitum nisi præcognitum; » ultimum locum tenet facultas motrix, quæ præsupponit appetitum, quia omne animal movetur ad consequendum id quod desiderat.

18. *Corollarium 1^{um}*. — *Inadæquata est utraque potentiarum divisio*, ad mentem recentiorum, cùm in utraque tum vegetativa, tum motrix facultas desideretur. Ad hoc porrò adducti sunt, quia Cartesii vestigiis inhærentes, corpus ex se vivere ac moveri arbitrantur. Quod philosophicè simul ac theologicè falsum est; nam corpus ab animâ recipit « vitam, sensum omnem et motum », ut SS. Pontifex Pius IX declaravit et ratio probat.

19. *Corollarium 2^{um}*. — *Falsa est notio recentiorum de potentiis activis et passivis*. Juxta plures ex ipsis, passivæ sunt facultates quæ nihil activi, activæ autem quæ nihil passivi habent. Porrò repugnat notio potentiae merè passivæ, quia repugnat potentia quæ aut nullum haberet finem, aut finem suum propriâ operatione assequi non posset. — Insuper, quidquid sit de conceptu istius potentiae, nullam talem existere postea certis argumentis stabilietur, cùm videre erit *singulas* animæ potentias, gradu licèt inæquali, suâ frui activitate, imò spontaneitate, idque verum esse de sensibilitate et intelligentiâ, quas pro facultatibus merè passivis immerito habent recentes.

Propterea passivæ dicendæ sunt illæ potentiae, non quæ nullas operationes exerunt, sed *quæ ad agendum moventur*

ab objecto suo jam actu existente; v. g. sensus determinatur ad sentiendum sensibilibus in actu, intellectus *possibilis* ad intelligendum specie intelligibili in actu existente, et voluntas ad volendum specie boni, quo tanquam fine trahitur. — Contrà, activæ nominantur potentiæ *quæ movent seu imitant suum objectum, faciuntque ut sub aliquo respectu evadat actuale*; v. g. potentia vegetativa et intellectus agens (1).

CAPUT III

DE POTENTIIS ANIMÆ IN ORDINE AD OPERATIONES SUAS CONSIDERATIS

Tria sunt dicenda: 1° utrùm ab actibus suis realiter distinguantur potentiæ? 2° utrùm unaquæque ad actum suum habeat inclinationem, sive conatum? 3° utrùm quibusdam potentiis specialis inclinatio sive habitus insit ad quosdam actus determinatos?

ARTICULUS I

De discrimine inter potentias et earum actus.

20. Errores. — Cartesius non distinguit potentias animæ ab earum actibus, quia, juxta ipsum, potentia est semper in

(1) « Non distinguitur potentia activa a passivâ ex hoc quòd habet operationem; quia cum cujuslibet potentiæ animæ tam passivæ quam activæ sit operatio aliqua, quælibet potentia animæ esset activa. Cognoscitur autem distinctio earum per comparisonem potentiæ ad objectum. Si enim objectum se habet ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa; si autem e converso se habet ut agens et movens, sic erit potentia passiva. » (S. Thomas, *Qq. dispp. de Verit.*, q. XVI, a. 1, ad 13).

actu, et repugnat conceptus potentiæ non semper actuosæ. Positivistæ autem existimant nihil reale esse in homine præter actiones aut phænomena, potentias autem esse mera nomina a philosophis inventa ad actiones commodiùs explicandas.

21. Assertio: *In animâ, ut in omni ente creato, potentiæ ab actibus suis realiter discriminantur.*

1° Realiter differunt causa et effectus. Porrò, in omni ente creato, potentia se habet ad suum actum, sicut causa ad effectum quem elicit. — 2° *Posse* agere, et agere *actu* sunt duo planè distincta, imò contraria, cum non possint simul in eodem subjecto existere. Atqui potentia dicit meram possibilitatem agendi, actus verò dicit operationem actu exercitam. — 3° Conscientiâ teste, non semper sentimus, aut intelligimus, aut volumus actu, sed transimus de potentiâ in actum, ipsæque nostræ sensationes, intellectiones, volitiones, in horas mutantur, et aliæ aliis succedunt. Porrò idem esse nequit id quod ita pertransit et mutatur, et id quod has mutationes ac variationes in sese vel recipit vel producit.

22. Corollarium. Hinc patet falsitas opinionis Cartesii necnon positivistarum. Nam ex unâ parte, activitas actu exercita non pertinet ad essentiam potentiæ, sed tantum facultas agendi, quæ integra remanet, etiam cum actu sese non exercet; ex alterâ parte, transeunt actiones, dum semper manent potentiæ, a quibus, datâ occasione, sponte actiones erumpunt.

ARTICULUS II

De conatu potentiis insito (1).

23. Conatus notio. Conatus est certa inclinatio insita potentiis ad operationes sibi proprias; hanc *nisum*, sive *appetitum naturalem* scholastici cum Aristotele nuncupaverunt.

(1) Cf. S. Th., *Qq. dispp. de Verit.*, q. XXII, a. 1; 1°, q. XXX, a. 1, c. et ad 3.